

Instanti: Qui ad paucos dies versatur in aliquo territorio, non censetur in eo moraliter versari. L. Heres absens ff. de iudicis: ergo. R. Jura loqui de certis effectibus, qui longiorem requirunt moram, ut ad contrahendum domicilium, vel acquirendam parochiam, &c. Non verò de observantia legum, quibus facile, & sine mora satisfieri potest.


Dixi: Si illic trahat moram observantia legis proportionatam; quia non censetur quis moraliter existere in loco in ordine ad obligationem, & observantiam legis, si in eo non existat tempore accommodato ejus observantia. Et hinc inferunt communiter Auctores, eum, qui transit per locum, ubi est festus dies, & ibi moratur tantum una, vel altera hora, etiamsi ante meridiem, non teneri ad Missam; secus, si maneret toto mane.

Sed dubium est, an, si proficiatur mane a loco, in quo servatur festum, teneatur audire Missam, vel ibidem, vel alibi? De hospite negat Sylvius, & plures alii; qui affirmant de Incola, quia existant incolam ad plus teneri, quam hospitem. De utroque negant alii. Quid sit Juri in hoc casu, difficile est determinare: unde censeo, salvo meliori iudicio, standum esse communi usui & praxi, quæ habet vim legis. Communitas autem usus & praxis, saltim in his partibus, est, quòd tam hospes, quam incola, discedens mane a loco, in quo est Festum, illic vel alibi audiat Sacrum.

Si dicas, eum, qui discedit mane hora quinta, non magis trahere moram observantia legis accommodatam, quam transiens, qui ibi remanet una vel altera hora; nem non contrahere obligationem abstinentiæ alibi ab operibus servilibus: ergo nec audiendi Sacrum. R. Concesso utroque. Ant. N. Consequenter. Et insto in usu & praxi communi, quæ sic recipit legem pro audienda Missa a discedente, non a transeunte, nec pro abstinentia ab operibus servilibus. Si instes, communem apprehensionem illiteratorum non sufficere ad inducendam obligationem, præsertim de qua disputant Theologi. R. me non vim facere in communi intelligentia illiteratorum, sed in praxi communi, quæ sic recipit legem, & ideo vim legis obtinuit. Cæterum nolim damnare, qui contrariam opinionem sibi probabiliorum sequeretur.

Consecraria præcedentis Doctrina.

EX dictis colliges 1. committentem peccatum, cui in propria Diocesi annexa est censura, seu quod est reservatum, sed non in ea, in qua versatur & peccat, non incurere censuram, nec reservationem, & posse ibi absolvi a quo-



DISSERTATIO V.

DE MUTATIONE LEGUM HUMANARUM.

D. Thom. Quæst. 97.

Suppono 1. (Hic q. 97. art. 1. o.) Legem humanam posse convenienter mutari; tum quia Legislator pro ingenii humani imbecillitate non semper potuit in Lege condenda attendere ad omnia; ex quo fit, quòd temporis successu id, quod credebatur utile, deprehendatur inutile & noxium, ideoque Lex mutanda; tum quia mores hominum, quibus dirigendis insituntur Leges, sunt variabiles, consequenter Leges mutandæ. Suppono 2. (Ibid. art. 2. o.) Leges non esse facile mutandas, etiamsi aliquid melius occurrat, sed tum demum, quando necessitas, aut magna & evidens utilitas id requirit; quia mutatio Legis, quantum est de se, habet detrimentum quoddam boni communis; nam ad observantiam Legum multum valet consuetudo, quæ tollitur per mutationem Legum, ex qua etiam Leges minoris æstimantur.

Multipliciter autem Lex mutari potest: 1. per abrogationem, si tollatur in toto; aut per derogationem, si tollatur in parte. 2. Per cessationem finis illius. 3. Per consuetudinem. 4. Per dispensationem. 5. Per interpretationem. De quibus omnibus agemus in hac ultima Dissertatione. Unde sit

ARTICULUS I.

De mutatione Legum per abrogationem, & cessationem finis.

§. I. Prima difficultas resolvitur.

Dico: Legislator, ejus Successor pari gaudens auctoritate, aut Superior potest justa de causa licite, & valide abrogare Legem, & a fortiori illi derogare. Patet ex suppositis. Si-

cumque Confessario. Redux autem in Patriam non potest, non propter censuram, quia nullam incurrit, sed propter reservationem, quæ viget in sua Diocesi circa illud peccatum, ubicumque fuerit commissum.

Colliges 2. Gallum, existentem in quibusdam Provinciis Belgii, posse manducare intestina, & extremitates animalium die Sabbathi; & Romanum existentem Mediolani posse non jejunare quatuor primis diebus Quadragesimæ; quia, licet abstinentia a carnibus Sabbathi, & jejunare quatuor primis diebus Quadragesimæ, non sint Leges locales, de quibus procedunt Conclusiones, sed communes Ecclesiæ; quia tamen extranei existentes in dietis locis subjunguntur eorum Legibus onerosis, ita fruuntur eorum Privilegiis, ut sit uniformitas in omnibus. Pariter Belga existens in Gallia, & Mediolanensis Romæ non possunt uti suis Privilegiis, sed debent servare Leges communes Ecclesiæ, prout ibi servantur.

Colliges 3. existentem in loco, ubi Trid. non est promulgatum, non receptum, posse valide contrahere matrimonium clandestinè; quia ista Lex non est merè personalis, sed mixta, partim personalis, partim localis. Quid autem, si eo præcise animo illic transierit? Probabiliter reputant aliqui contrahere valide; quia servat formam contractus ibi requisitam. At dices: ergo fraus ipsi favet & patrocinatur. Fateor id ingerere difficultatem: at forte respondebunt, non fraudem patrocinari; sed quia, supposita fraude, contrahit secundum Leges loci, in quo celebratur contractus. Cæterum hanc opinionem ut probabilem dumtaxat propono, non ut certam affirmo; quin e contra res mihi videtur dubia propter fraudem.

Colliges 4. Catholicos, existentes in partibus Hæreticorum, aut Infidelium, teneri Legibus communibus Ecclesiæ, v. gr. jejuniorum, festorum &c. quia istæ Leges non sunt locales, sed personales, primariò afflicientes personas ubique locorum; sed quòd in istis partibus non servantur, non est Privilegium, sed apud Hæreticos abusus ex eorum pervicacia; apud Infideles, quia non sunt subditi Ecclesiæ.

Colliges 6. Discedentem a loco jejunii non posse jentare, nisi aliunde excusetur: dum autem advenit, ubi non est jejuni-um, posse manducare carnes, prandere, & coenare: e contra discedentem a loco, ubi non est jejuni-um, posse jentare, advenientem ad locum jejunii circa meridiem posse prandere cum aliis; si serò adveniat, posse tantum collationem sumere. Hæc & quadam alia corollaria circa jejuni-um fuisit exposita require in Tract. de Temperantia, Dissert. 2. art. 10. sub finem.

nè autem justa causa non potest licite, quia, sicut peccaret non ferendo ab initio Legem necessariam, aut utilem, a fortiori peccat abrogando latam, & auctoritate sua abutitur. Potest tamen valide; quia Lex non habet vim obligandi, nisi ex voluntate & auctoritate Legislatoris, quæ hic deesset. Unde, si ceter, si Legem quantumvis utilem, aut necessariam non ferret, & in hoc peccaret, nemo lege stringeretur; ita si latam, quamvis illicite, revocat.

Petes 1. Utrum, etiamsi Lex sit a Superiore confirmata, possit eam abrogare? Respondetur communiter, quòd, si sit confirmata in favorem communitatis, non possit; quia superior sic confirmando fecit suam. Si autem, ut ordinariè fit, sit confirmata in favorem ipsius Legislatoris, potest; quia talis confirmatio nihil derogat auctoritati Legislatoris, sed confert dumtaxat Legi plus ponderis & roboris.

Petes 2. an, non solum per expressam revocationem, sed etiam per legem contrariam, lex censeatur revocata? R. Lex generalis per legem generalem contrariam censetur revocata: Lex verò particularis, quales sunt speciales locorum consuetudines, statuta, & Privilegia, etiamsi ponatur in Lege generali hæc clausula derogatoria generalis, non obstante quacumque consuetudine, &c. non censetur revocata, nisi de ea fiat specialis mentio, aut nisi aliunde constet hanc esse mentem Legislatoris. Ita Bonifac. VIII. Cap. Licet de constit. in 6. his verbis: Licet Romanus Pontifex, qui Jura omnia in scriptis pectoris sui censeatur habere, constitutionem condendo posteriorem, priorem, quamvis de ipsa mentionem non faciat, revocare vocatur: quia tamen locorum specialium, & personarum singularium consuetudines, & statuta (cum sint facti, & in facto consistant) potest pro-

habilitate ignorare. Ipsis (dum tamen sint rationabilia) per constitutionem a se noviter editam, nisi expresse caveatur in ipsa, non intelligitur in aliquo derogare. Favet insuper hæc regula Juris 34. in 6. Generi per speciem derogatur, quam sic intelligunt Juris Interpretes cum Glosa, quòd Lex specialis derogat Legi generali posteriori.

§. II. Secunda Difficultas resolvitur.

Finis Legis potest cessare, vel adæquate, & in communi, vel inadæquate & in aliquo particulari. Item potest cessare negative tantum, quando scilicet Lex desinit esse utilis fini intentioni, non tamen nociva; & contrariè, quando est nociva.

Dico 1. Cessante simpliciter, & absolute fine legis adæquate, & in communi, sive negative, sive contrariè, cessat Lex: quia 1. non est Lex, quæ non est utilis bono communi: ergo, cessante ratione, propter quam erat utilis, cessat. 2. Quia, cessante omnino ratione, propter quam Legislator tulit Legem, cessatur non velle amplius illam obligare. Hinc, si Lex indicet preces ad obtinendam pacem, pace obtenta, cessat Lex. Si ad obtinendam pacem, & pluviam, obtenta pace, non pluvia, non cessat Lex; quia non cessat finis ejus totalis, & adæquatus. Dixi: Cessante simpliciter, & absolute; quia, si cessaret tantum ad tempus, pariter lex cessaret ad tempus, & reviviscente fine legis, revivisceret.

Dico 2. Cessante negative fine legis etiam totali in uno particulari, non ideo cessat lex; secus, si finis cessaret contrariè. Ratio 1. partis est; quia, licet videatur tunc cessare finis legis in hoc particulari, revera tamen non cessat, aut non cessat adæquate. Non enim leges feruntur de aliquo opere, quia in hac, vel illa particulari persona conducti de facto ad bonum commune, sed quia natum est conducere, & ut plurimum conducit; atqui, licet in hac particulari persona per accidens de facto non conducatur, tamen natum est conducere, & ut plurimum conducit: ergo finis, seu ratio legis revera non cessat, aut saltem non cessat adæquate. Sic, v. gr. lex prohibet matrimonium clandestinum propter periculum fraudis, lectionem librorum prohibitorum propter periculum perversionis, gestationem armorum propter periculum rixarum; quamvis sis ita dispositus; ut in te non timeas vel fraudem, vel perversionem, vel rixas, non tamen ideo verè cessat finis legis; quia semper verum manet, quòd inde natum sit sequi vel fraudem, vel perversionem, vel rixas, & quòd ut plurimum sequantur, quòd est ratio legis, & ideo ab illa non eximeris. Confirmo. Quia alioquin vix ullus esset, qui legem observaret; dicerent enim omnes à se abesse periculum, quòd lex vitare intendit. Confer, quæ dixi de lege fundata in falsa præsumptione, Dissert. præced. art. 7.

Ratio 2. partis est; quia, quòd est pro bono communi institutum, non debet contra illud militare; quòd accideret, si lex facta noxia bono communi, aut etiam bono alicujus privati, cujus malum redundat contra bonum commune, subsisteret: unde lex reddendi depositum non obligat, ubi redditio est nociva deponenti, vel depositario, vel alteri: similiter lex de abstinentia non obligat, quando desunt alii cibi; interest enim boni communis, quòd particularis serventur incolumes.

ARTICULUS II.

De Consuetudine.

Consuetudo est duplex: (In 3. d. 23. q. 1. art. 14. q. 2.) una facti, altera Juris. Consuetudo facti definitur ab Auctore: Frequentia operandi libere eodem modo. Consuetudo juris, quæ sequitur ex consuetudine facti, definitur ab Isidoro l. 5. Etymol. cap. 3. relato cap. 5. Dist. 1. Jus quoddam moribus (id est actibus frequentatis) institutum; quòd pro lege suscipitur, cum deficit lex. Ex quo præcipue de consuetudine facti.

Tria tribuit S. Thom. (Hic quæst. 97. art. 3. o.) consuetudini. 1. Quòd legem inducat, quando scilicet est præter legem, & nullam supponit. 2. Quòd abrogat legem latam, & receptam. 3. Quòd eam interpretetur. Hæc autem tria consuetudo obtinere potest duplici via. 1. Via convenientiæ, quando superior personaliter consentit tacite, vel expresse consuetudini, ad quòd non requiritur tempus determinatum. 2. Via præscriptionis, quando certo tempore invaluit consuetudo, concurrente consensu, non personali, saltem juridico, seu legali Superioris, ut explicabitur infra. An itaque, & quomodo consuetudo hæc tria obtinere possit, inquirimus. Pro quo

Dico 1. Consuetudo rationabilis potest inducere legem, ubi non est, tam via convenientiæ, quam præscriptionis. (Ibid. item ad 3.) Prob. ex utroque jure. Ex Jure Canon. Cap. In his Dist. XI. ex Aug. Ep. 86. ad Casul. dicitur: In his rebus, de

quibus nihil certè statuit divina Scriptura, mos populi Dei, vel instituta Majorum pro lege tenenda sunt. Et sicut prævaricatorum divinam Legem, ita contemptores Ecclesiarum consuetudinum coercendi sunt. Item Cap. Illa Dist. 12. cap. Cum de latas de Consuetud. & toto titulo. Cap. Non est. & cap. Cum in tua cod. tit. in 6. Ex Jure Civili l. De quibus ff. de Legibus. De quibus cunctis scriptis legibus non atimur, ad custodiendi oportet, quòd moribus, & consuetudine inducitur. L. Diuturnasq. Diuturna consuetudo pro jure, & lege, in his, quæ non ex scriptis descendunt, observari solet. Item duabus legibus seqq. Et l. Præses C. Quæ sit longa consuetudo. Et duabus seq. Neque verum est, quòd dicunt aliqui, in his legibus agi de populo, qui nullum Principem agnoscit, ut videre est in ipsiis textibus.

Prob. Ratione: In consuetudine rationabili possunt concurrere omnia, quæ requiruntur ad legem, scilicet materia honesta, & utilis bono communi, intentio se obligandi, & legitima auctoritas, vel communitatis, si sit libera, vel Principis manifestè approbantis, sive personaliter, sive legaliter, eam consuetudinem, & intentionem: ergo. Et hinc vides plura requiri, ut Consuetudo inducat legem. 1. Requiritur, quòd ejus materia sit honesta, utilis bono communi, & talis qualem dixerimus supra requiri ad legem. Unde, quæ repugnant legi naturali, vel divina, vel bono communi, quæ scandalum pariunt, aut adversantur libertati Ecclesiæ, & similia, non introducunt legem. 2. Si agatur de Communitate, quæ non sit libera, sed regatur a Principe, vel Superiore, requiritur superioris consensus, & approbatio; quia lex non potest esse nisi a Superiore in subditos. Duplex autem hic distinguitur Principis consensus, unus personalis, alter juridicus, seu legalis: Personalis, quando Superior consensu consuetudinis eam approbat, vel expresse verbo, aut aliquo facto manifesto, vel tacite ei non resistendo, dum facile posset: Juridicus, seu legalis in hoc consistit, quòd Jura, seu prædecessores Superioris præsentis declaraverint, & statuerint talem consuetudinem inducere legem; ad quem consensus, ut patet, non requiritur, quòd consuetudo innotescat Superiori, ut magis patet infra. Ut consuetudo inducat legem via convenientiæ, requiritur consensus personalis saltem tacitus; ut autem inducat via præscriptiois, sufficit consensus legalis.

3. Requiritur in populo intentio se obligandi: quia non est lex sine obligatione, nec obligatio legis, si superior non intendat obligare. Superior autem non intendit consuetudinem obligare, nisi in quantum populus intendit se obligare; quia ibi se habet Princeps potius ut approbans obligationem, quam ut inducens, nec censetur concurrere nisi secundum intentionem populi. Unde sunt plures consuetudines in populo Christiano, quæ non habent vim legis, ut consuetudo audiendi tres Missas in Festo Nativitatis Domini, recitandi Angelus, &c. mane, meridie, vespere; ad sonum campanæ; sumendi aquam benedictam in introitu, & exitu Ecclesiæ, & alie plures. Si petas, unde dinoscitur possit, consuetudinem inductam fuisse cum intentione obligandi, & vim legis habere? R. Id posse dinoscitur ex sequentibus indicis: Si non observantes male audiant apud timoratos, & sapientes, vel si in re difficili regulariter observentur, vel si Superiores urgeant ejus observantem, & transgressores puniant, vel tandem si communi sensu Doctorum reputetur lex. Ex oppositis indicibus collige contrarium. Potest autem obligare, vel sub mortali, vel sub veniali, vel ad solam poenam, secundum quòd populus intendit, ut dixi de Legibus. 4. Requiritur, ut consuetudo frequentetur actibus publicis, saltem a majori parte Communitatis, qui locum promulgationis tenent. Quot autem actus requirantur, definiti non potest; sed tot requiruntur, quot sufficiunt, ut populus possit iudicare id fieri ex lege obligante.

Petes, quantum temporis requiratur consuetudo, ut obtineat vim legis? R. Si procedat via convenientiæ, nullum determinatum tempus requiritur, sed sufficit, quòd constet de voluntate populi, & Principis consensu, quæ duo debite manifestata sufficiunt ad legem. Quando autem non constat hæc duo adesse, prudentium est iudicare attentis circumstantiis. Si procedat, via præscriptionis, plures censent requiri decem annos, tam pro Lege Civili, quam Ecclesiastica. Censet tamen noster Serra post Soto, sufficere pariter, si manifestè constet consuetudinem esse inductam, & receptam, nec aliquod longius, aut determinatum tempus requiri: quia hic non agitur de re illi noxia, propter quòd Jura requirunt certum tempus ad præscriptionem possessionum; se de re honesta, & utili bono communi. Hæc sententia est mihi benè probabilis. Prima est communior.

Dico 2. (Ibid. o.) Consuetudo rationabilis potest abrogare legem humanam etiam irritantem, aut ei derogare tam via convenientiæ, quam præscriptionis. De via convenientiæ non est difficultas; quia lex pendet a voluntate Legislatoris: unde, mut-



tata voluntate Legislatoris, eaque exterius manifestata, desinit lex; atqui per convenientiam liberam consuetudini contraria legi manifestatur factio mutatio voluntatis in Legislatore; ergo. Dixi: *Convenientiam liberam*, ita quod Legislator possit facile impedire, & non impediat; si enim tolleretur, quia resistere non potest, aut si differat in aliud tempus, non est consensus liber & sufficiens ad abrogandam legem via convenientie. Prob. 2. pars ex utroque Jure. Ex Jure Canonico cap. finali de consuetudine dicitur: *Licet longeva consuetudo non sit utilis auctoritas, non est tamen usque adeo valitura, ut vel positivo Juri debeat prejudicium generare, nisi fuerit rationalis, & legitime prescripta*. Qua exceptione aperte significat Canon, consuetudinem rationabilem legitime prescriptam posse legi humane derogare. Ex Jure Civili L. *De quibus*, ff. de legibus: *Reverentiam illud receptum est, ut leges, non solum suffragio Legislatoris, sed etiam tacto consensu omnium per consuetudinem abrogentur*.

Prob. ratione: Leges humane subsunt auctoritati, & voluntati hominum, non secus ac alie res humane; & jura; atque res humane, & jura possunt independentem a voluntate dominorum mutari, & transferri per auctoritatem Juris, ut fit in prescriptione; ergo pariter leges humane possunt mutari per auctoritatem Juris independentem a voluntate personali Legislatorum; subsumo; atqui jura decernunt consuetudinem rationabilem legitime prescriptam prevalere legi humane, ut patet ex Juribus laudatis: ergo.

Hinc inferes 1. ad abrogationem legis humane per consuetudinem contrariam, aut disuetudinem, non requiri, quod Legislator sit consensus consuetudinis; tum quia hanc abrogatio non fit ex consensu personali Legislatoris, sed legali, seu vi Juris communis ita stantem; tum quia prescriptio universim currit contra ignorantem; & alioquin vix ulla consuetudo particularis prevaleret contra legem Pontificiam, cum ipse Pontifex cap. cit. 1. de cons. in 6. fatetur se ignorare particulares locorum consuetudines. Ita Layman post Glossam, Innocen. Suarem, & plures alios. Si tamen Legislator sciret consuetudinem, & positive resistere, non cureret prescriptio. Inferes 2. Nullum determinatum tempus requiri, ut consuetudo abroget legem via convenientie, sed sufficere quod constat de convenientia, seu consensu personali Legislatoris; quia non Jure, sed ipsius Legislatoris voluntate mutata desinit lex. Quando autem proceditur via prescriptionis, requiritur tempus determinatum; quia tunc non desinit ex mutata voluntate Legislatoris, sed ex dispositione Juris; & ideo requiritur tempus a Jure determinatum ad legitime prescribendum. Unde communis sententia est, quod ad hoc, ut consuetudo prescribat contra legem civilem, requiratur decem anni; contra legem Ecclesiasticam quadraginta annis; quia sic Jus commune disposuit pro prescriptione aliorum jurium civilium, & Ecclesiasticorum.

Dices 1. Ut consuetudo prescribat contra legem, debet esse rationabilis, ut dicitur in Conclusionem, & insuper debet esse bona fides in prescribente; atqui neutrum reperitur in agentibus contra legem: ergo. R. N. Min. Potest enim contingere, quod, qui primi agunt contra legem, sibi persuadeant ob materiam legis, aut quasdam circumstantias mutatas, legem debere cessare, sicut nec irrationabiliter, nec cum mala fide legem non servare: *Possibile est*, inquit S. Thom. (*Ibid. ad 2.*) *quandoque contra legem agere, & tamen actus non erit malus. Et cum tales actus multiplicentur propter aliquam mutationem hominum, tunc manifestatur per consuetudinem, quod lex ulterius non est utilis: sicut etiam manifestaretur si lex contraria verbo promulgaretur. Sed, dato ab initio consuetudinem non fuisse rationabilem, nec bonam fidem in primis transgressoribus; eorum tamen successores, inducta jam consuetudine, possunt rationabiliter, & cum bona fide contra legem agere, & tunc solum incipit currere prescriptio, & tandem post tempus determinatum elapsum obtinet vim legis: modo tamen tempore, quo currit, non interveniat actus contrarius a majori parte communitatis; tunc enim interrumpitur, & esset de novo inchoanda.*

Dices 2. Cap. *Consuetudinis*, Dist. 11. & libr. 8. C. tit. 53. dicitur, quod consuetudo non vincat legem: ergo. R. Sensum Juris esse, quod consuetudo particularis alicujus loci non vincat legem universaliter, & ubi non viget consuetudo, bene tamen in locis, in quibus viget.

Inst. S. Thom. hic art. 3. ad 2. dicit: *Si adhuc maneat ratio eadem, propter quam prima lex utilis erat, non consuetudo legem, sed lex consuetudinem vincit*: ergo. R. textum non referri integre; subdit enim S. Doctor: *Nisi forte propter hoc solum inutilis lex videatur, quoniam non est possibilis secundum consuetudinem patrie, quae erat una de conditionibus legis: Difficile est enim, consuetudinem multitudinis removere.*

Dixi 1. *Legem humanam*; quia contra legem naturalem, aut divinam nunquam prevalere potest humana consuetudo;

quia utraque procedit a voluntate, & auctoritate divina, contra quam nihil potest consuetudo humana, neque via convenientie, neque via prescriptionis: non via convenientie; quia quomodo Deus non statim eorum transgressores puniat, non tamen consentit eorum transgressoribus, vel reservat puniendas in hac, vel altera vita: non via prescriptionis; quia prescriptio habet vim ab humana auctoritate, quae nihil potest statuere contra voluntatem, & auctoritatem divinam. Dixi 2. *etiam irritantem*; quia non est ratio, cur consuetudo possit abrogare legem prohibentem, & non irritantem. Insuper potest inducere legem irritantem; cur non tollere?

Petes 1. Utrum consuetudo possit prescribere contra legem, si lex feratur cum hac clausula: *Non obstante quacumque consuetudine*? R. affirmative. Quia haec clausula intelligitur de consuetudine praeterita, non futura. Quod si exprimitur in lege: *Non obstante quacumque consuetudine, etiam futura*, potest adhuc nihilominus consuetudo legem abrogare; quia non obstante hac clausula, consuetudo contraria potest esse rationalis, & sicut potest totam legem abrogare, & potest & quoad illam partem. Neque tamen haec clausula inutiliter ponitur; efficit enim, quod Magistratus, & Praetores diligentius advigilent, ne inducantur consuetudo contraria, & quod non tam facile possit praesumi tacitus consensus Legislatoris.

Petes 2. Utrum consuetudo possit derogare legi quoad poenam ipso facto incurramdam, v. gr. excommunicationem, relicta culpa? Videtur, quod non: quia hoc ipso, quo lex violatur, poena simul incurritur: ergo manente lege quoad culpam, non potest consuetudo prevalere contra poenam. R. nihilominus affirmative. Quia ipse Legislator potest auferre poenam, sive per aliam legem, sive per ejusdem explanationem, aut modificationem: ergo id etiam fieri potest per consuetudinem ex consensu Legislatoris personali, vel legali. Ad rationem contrariam, R. quod, quamvis per violationem legis poena ipso facto incurritur, potest tamen contingere, quod non servetur, & quod illius nulla habeatur ratio, ac si non esset incurra: v. gr. quod excommunicatus non videtur ab aliis, nec ipse videtur ab aliis, absque ulla reprehensione ex parte superiorum; quae disuadet, si perseveret sufficienti tempore, vel ad prescriptionem, vel ad cognoscendum consensum personalem Legislatoris, sufficit ad abrogationem poenae. Sicut autem consuetudo potest tollere poenam relicta culpa, ita etiam potest tollere culpam relicta poena: quia id quandoque potest esse rationale; & sic aliquando instruantur quaedam statuta, & ordinationes. Excipit tamen, nisi poena necessario, & intrinsece supponat culpam, ut Censura Ecclesiastica.

Dico 3. (*Ibid.*) Consuetudo potest interpretari legem. Patet ex Jure cap. *Cum delectus* de consuetudine, & L. *Si de interpretatione*, ff. de legibus ubi consuetudo dicitur *optima legum interpretres*. Duplex autem est interpretatio: Una doctrinalis secundum mentem, & sensum Legislatoris: Altera authentica, quae habet vim inducendi aliquem sensum pro nova lege; licet forte non conveniat cum prima intentione Legislatoris: utriusque modo consuetudo potest interpretari legem humanam: priori autem modo tantum legem naturalem & divinam.

### ARTICULUS III.

#### De Dispensatione.

Dispensatio, proit hic sumitur, est relaxatio obligationis legis. Differt ab abrogatione, & derogatione, ab interpretatione, licentia, absolute, & privilegio. Ab abrogatione, & derogatione; quia per abrogationem tota Lex, per derogationem pars Legis absolute, & universim tollitur: per dispensationem autem obligatio legis tollitur tantum respectu alicujus particularis, manente lege integra, & immutata quoad alios: quod si ad omnes, sed ad tempus, tollatur, erit suspensio legis. Ab interpretatione, quia interpretatio, doctrinalis scilicet, non tollit obligationem legis, sed declarat tantum per se ipsam cessare. Unde ad interpretationem non requiritur auctoritas, sed sufficit prudentia, & intelligentia; ad dispensationem autem requiritur auctoritas. Si sit interpretatio authentica, ad quam requiritur auctoritas, coincidit cum abrogatione, aut derogatione.

A licentia; quia dans licentiam proprie non relaxat legem, sed ponit conditionem, qua posita lex nunquam obligat: v. gr. lex dicit: *Nemo exeat ex urbe sine licentia Praetoris*, vel e conventu sine licentia Praelati: Praetor, aut Praelatus dans licentiam non dispensat, sed ponit conditionem, ex qua lex per se cessat obligare. Unde Praelatus, dans licentiam aliquid accipiendi, vel dandi, non dispensat in voto Pauperum. Ab absolute, quia dispensatio est contra legem communem, non absolute, quin potius est secundum legem communem, quando persona absolvenda meretur absolutionem. A Privilegio; quia

quia Privilegium est privata lex, & potest esse vel contra Jus commune, & tunc coincidit cum dispensatione, vel praeter Jus commune, ut Privilegium absolventi, dispensandi, &c. & tunc differt a dispensatione.

Dispensatio, cum sit contra Jus commune, est odiosa; odiosum est enim recedere a communi lege, quae omnes alios obligat, & ideo stricte est interpretanda, & restringenda. Multa pro praxi sunt scitu necessaria circa dispensationem, quae sequentibus §§. elucidare conabimur.

#### §. I. Quis potest dispensare in Lege humana?

Dico 1. (*Ibid. art. 4. o.*) Potestate ordinaria dispensare potest in suis legibus ipse Legislator, ejus successor, & superior, cui Legislator, aut successor est subordinatus. Inferior autem non potest nisi potestate delegata, & quantum ipsi concessum est vel a Jure, vel a consuetudine, vel a superiore. Prima pars patet; quia obligatio legis pendet a potestate Legislatoris; ejusdem est autem potestatis ferre legem, & aliquid a lege eximere, quod est dispensare: ergo potest Legislator dispensare in suis legibus, & ejus successor pari cum illo gaudens potestate; & a fortiori superior, cujus potestati subordinatur potestas inferioris. Patet etiam 2. pars; quia dispensare est actus jurisdictionis: inferior autem non habet jurisdictionem in legem superioris, nisi in quantum ipsi conceditur vel ab ipso superiore, vel a Jure, aut consuetudine.

Duplex est enim potestas delegata; una a Jure, vel consuetudine, quae, dum in perpetuum est concessa, vel annexa, non personae, sed officio, vel dignitati, aequiparetur ordinaria. Cap. *Quantum Abbas*, de officio delegati. Et L. 1. ff. de officio ejus, cui commissum est jurisdictionem. Altera est ab homine, dupliciter, vel per modum gratiae in favorem delegati, & haec est latae interpretationis, nec expirat morte concedentis, si absolute sit collata: quia juxta cap. *Si cui de praebeatis in 6. Decet concessum a Principe Beneficium esse mansurum*. Vel per modum commissionis, & mandati in favorem alicujus causae, vel personae; & haec est strictae interpretationis, & expirat morte concedentis, si res sit integra, & nondum executioni cepta mandari: c. *Relatum* de officio delegati, & cap. cit. *Si cui*.

#### Consecraria praecedentis Doctrinae.

EX hac Conclusionem colliges 1. Papam posse jure ordinario dispensare in omnibus legibus Ecclesiasticis, tam particularibus Diocesis, quam universalibus totius Ecclesiae; quia est omnium caput.

Colliges 2. Episcopos non posse potestate ordinaria dispensare in legibus SS. Pontificum, & Conciliorum; posse tamen in pluribus casibus potestate delegata. 1. Quando Jus expressit id eis concedit: sicut Trid. sess. 24. cap. 6. de Reform. ipsis concedit posse dispensare in omnibus irregularitatibus provenientibus ex delicto occulto, excepta ea, quae provenit ex homicidio voluntario, & ex aliis deductis ad forum contentiosum. 2. Quando in lege ponitur, *posse dispensari*; cum enim certo constat Pontificem posse dispensare, illa particula non potest intelligi nisi de Episcopis; alias forent inutilles.

3. Possunt ex consuetudine, & consensu tacito dispensare in levioribus, & iis, quae frequenter accidunt, ut in jejunii, Festis, Horis Canonicis, & similibus; quia id exigit conveniens Diocesis gubernatio: nec est verisimile Pontificem velle, ut continuo ad ipsum recurratur pro rebus levibus, aut quae frequenter occurrunt. In jejunii, & festis id etiam possunt Parochi consuetudine.

4. Possunt ex consensu tacito dispensare in iis, quae non patiuntur moram; quia jure praesumitur, SS. Pontificem nolle fideles tantum manere in peccato, aut in periculo peccandi: sic dispensant in impedimentis occultis, si deprehendantur post matrimonium contractum cum bona fide saltem alterutrum partem; non tamen in his, quae deprehendantur ante contractum, nisi forte detegantur immediate ante celebrationem, quae sine gravi scandalo differri non possit. Similiter dispensant in impedimento petendi debitum, quod una pars contraxit ex commixtione cum consanguinea in 1. vel 2. gradu alterius.

5. Multi censent posse etiam dispensare, quando dubitatur, an dispensatio sit reservata, vel an opus sit dispensatione; quia censent, SS. Pontifices sibi solum reservare casus certos. Alii hanc praxim minus tutam reputant. Mihi probabile est posse admitti in locis remotioribus; praesertim si talis consuetudo sit nota, & tolerata.

Hic usque de dispensatione Episcopali in obligatione legis humane. Quantum vero ad vota, & iuramenta possunt Episcopi jure ordinario in iis dispensare, scilicet improprie cum suis subditis, sicut & ipsos absolvere ab omnibus peccatis, & censuris, quae non sunt specialiter reservata Papae; quia, cum

*Theol. Billuari. Pars Secunda.*

hac sint frequentissima, hujusmodi potestas est omnino ipsis necessaria ad congruum suae Diocesis regimen; & de votis; constat cap. 1. de voto. Imo etiam in voto continentiae perpetuae, quod est Papae reservatum, possunt post matrimonium contractum dispensare, ut comparis illo adstricta possit petere debitum.

Quae hic usque dixi de Episcopis, dicenda sunt de Praelatis Regularium exemptorum respective ad suos subditos; quia in his, quae sunt jurisdictionis tantum, sunt veluti suorum Episcopi.

Colliges 3. Episcopum posse jure ordinario dispensare in suis legibus, etiam in Diocesana Synodo latis; quia ipse solus est ibi Legislator, alii tantum Assessores, aut Consilarii. Nec refert, quod forte sint confirmata a SS. Pontifice; quia confirmatio addit tantum eis robur, declarando esse bonas, & utiles, & ideo observandas, nisi forte Papa confirmando fecisset suas, & in Jus commune redegisset. Secus tamen dicendum de legibus in Synodo Provinciali, aut Nationali latis a Primate, vel Archiepiscopo, & Episcopis Suffraganeis; non possunt enim sive Primas, sive Archiepiscopus, sive Episcopi dispensare jure ordinario, sed delegato tantum, & consensu tacito Synodi; quia nullus singulariter, & seorsim est ibi legislator, sed omnes simul collectivè. Idem die de legibus Capituli Provincialis respective ad Provinciales, & Capituli Generalis respective ad Generalem propter eandem rationem; & quia Provincialis Capituli Provinciali, & Generalis Capituli Generali est inferior: unde neque hi, neque illi possunt has leges abrogare, sicut possunt suas.

#### §. II. Utrum dispensatio sine causa legitima sit licita, & valida?

Dico 1. Superior dispensat illicitè sine causa legitima in sua, vel inferioris lege. (*Ibid.*)

Prob. 1. (*Ibid.*) Quia dispensans sine causa legitima est dispensator imprudens, & infidelis: imprudens, quia agit temerè sine causa rationabili; infidelis, quia non intendit bonum commune, ad quod lex est instituta, & quod ipse ex officio, & pacto implicito cum communitate debet intendere. 2. Quia eximere a lege eum, qui non est eximendus, est acceptatio personarum. 3. Quia turpe est, & contra rationem naturalem, quod pars sine causa non sit conformis toti; quod facit, qui dispensat sine causa. Tandem, quia potestas est data ad edificationem, & non ad destructionem; unde Bernard. 1. 3. de Consid. c. 4. vocat hujusmodi dispensationem, *crudelem dispensationem*. Hinc inferes, eum, qui petit dispensationem sine legitima causa, pariter peccare; quia consenti, & cooperatur peccato dispensantis.

Quale autem sit peccatum, tam dispensantis, quam petentis dispensationem? Soto, Navarrus, Wigers, & quidam alii reputant tantum veniale, nisi sequatur grave scandalum, aut damnum alterius; quia, inquit, uterque utitur jure suo, sicut qui pecuniam suam prodigit. Sylvius post Cajet. Covarr. Suarem, & plures alios, reputat mortale; quia est contra justitiam legalem, & distributivam; omnis autem injustitia est mortalis ex genere suo. Respondent primi, violationem justitiae legalis, & distributivae non esse peccatum mortale, nisi grave damnum inferatur communitati, aut alicui privato; quod per se loquendo non inferitur ex hoc, quod aliquis a communi lege, v. gr. abstinentiae eximatur: secus, inquit, si a lege tributa eximeretur, ex quo alii magis gravarentur. Haec sententia est speculative probabilis; sed quantum ad praxim vix aut ne vix capio, quod quis dispensetur sine ulla causa, ut nunquam audiat Missam, nunquam recitet Horas, nunquam jejunet, aut abstineat a carnibus, & inde non sequatur gravis offensio fidelium, & grave scandalum, aut saltem irrede non sit natum sequi: unde in his, & similibus casibus non audeo dispensationem, & petentem dispensationem excusare a mortali.

Probabilis etiam existimo cum Cajetano, Sylvio, & aliis, contra Gonet, Suarem, & alios, utentem hujusmodi dispensatione peccare, non quidem contra legem humanam, a qua valide est exemptus, ut modo dicam, sed contra legem naturalem, vetantem, ne pars sine causa discordet a toto. Neque dicas, quod utatur jure suo, hoc enim jus est illi illegitimè acquisitum, & ideo eo non obstante manet obligatio naturalis non discordandi a toto, in qua non est dispensatus. Non assentior tamen Sylvio, repentem gravitatem hujus peccati ex gravitate materiae, aut praecipui, in quo se deberet aliis conformare, quasi peccaret mortaliter omitendo actum, puta auditionem Missae, ad quem alii tenentur sub mortali; sed ex gravitate turpitudinis, quae discordat a toto; qualis mihi videtur in exemplo posito, v. gr. si Beneficiatus redditibus pinguis, colore floridus, temperamento robustus, nunquam recitaret Horas, nunquam jejunaret, aut abstinere, nunquam audiret Missam,

Dddd



sam, &c. absque ulla alia causa, quam quod sit sine causa dispensatus, praesertim cum inde gravis offensio, & grave scandalum natum sit sequi. E contra levem turpitudinem existimo, & ideo levem culpam in eo, qui dispensatus valide sine causa legitima in impedimento dispensabili matrimonio contraheret. Confer, quae dixi Dissertat. preced. art. 8. in fine.

Observandum est tamen posse contingere, quod petentes, & utentes huiusmodi dispensationibus excusentur a peccato ob ignorantiam, & bonam fidem, & peccent ipsi dispensantes, quorum est causa dispensationis inquirere, & discutere; & e contra quod petentes sine causa peccent, & non peccet dispensans; quia quandoque importunitas, & improbitas petentis, & periculum, ne ex denegatione fiat peior, potest esse dispensatori causa legitima dispensandi.

Dico 2. Superior valide dispensat sine causa legitima in sua, & sui inferioris lege. Prob. Lex tam in fieri, quam in conservari absolute pendet a voluntate Legislatoris; ita quod, si, quamvis urgente legitima causa, non institueret, aut sine legitima causa legem instituat abrogaret, non esset lex, & nullus obligaretur; ergo, si tollat obligationem legis pro aliquo, ille non obligatur. Confirmatur: qui dispensatur sine causa in impedimento matrimonii, valide contrahunt matrimonium; nullus enim contra huiusmodi matrimonii validitatem reclamare potest: ergo valida est dispensatio.

Dices 1. Lex sine rationabili, & utili bono communi nulla est: ergo pariter dispensatio sine causa rationabili nulla est. R. N. Consequens est, quod ad condendam legem duo necessario requirantur, nempe voluntas Legislatoris, & utilitas boni communis, quorum si unum deficiat, cessat lex; ad ponendam enim effectum requiritur integra causa; ut autem tollatur, sufficit quod partialis causa, a qua intrinsece dependet, deficiat. Cum ergo in dispensatione deficit in Legislatore voluntas obligandi hanc particularem, cessat obligatio legis respectu illius.

Dices 2. Potestas non est data Legislatori ad destructionem, sed ad edificationem: ergo non potest sine causa dispensare. R. D. Consequens: ergo non potest licite sine causa dispensare, C. id enim dumtaxat sequitur ex Antecedente. Non potest valide, N. Sic, licet bonorum dominium non sit datum prodigo ad dilapidationem, sed ad legitimam administrationem, illa tamen valide dilapidat, licet illicite.

Inst. Legislator est inferior Deo, & quasi ejus commissarius; atqui inferior, & commissarius invalide dispensat contra voluntatem superioris: ergo, R. D. Min. Inferior, & commissarius invalide dispensat contra voluntatem Superioris in lege Superioris, C. in propria lege, N. Ut autem quadam Sophismata in hac parte dissipentur, hoc unum adverte, quod voluntas Dei contraria afficit dumtaxat ipsum Legislatorem, ipsi scilicet prohibens, ne indebitè utatur sua potestate, non verò ipsam legem quasi vim illi daret, alioquin esset lex divina, & non humana. Non obstante ergo illa Dei voluntate contraria, seu prohibitione, lex remanet dependens a voluntate Legislatoris, ita ut, sicut si illam sine causa abrogaret, esset valide, licet illicite, abrogata; sic, si ejus obligationem tollat sine causa erga aliquem, obligatio respectu illius est valide, quamvis illicite, sublata. Stet pariter in prodigo.

Dices 3. S. Bernardus supra laudatus vocat talem dispensationem, *dissipationem*, & Concil. Trid. sess. 25. de reform. dicit dispensationem sine causa esse subreptitiam, consequenter nullam. R. Ad 1. talem dispensationem vocari a S. Bernardo dissipationem, non quia est invalida, sed quia est illicita: sicut de prodigo dicitur, quod dissipet bona sua, quamvis valide distribuatur. Ad 2. R. Dispensationem sine causa censeri subreptitiam, quia non praesumitur, quod Legislator velit dispensare sine causa, & nunquam sic dispensat Pontifex; & ideo, dum habetur dispensatio sine causa, censetur subreptitia: hoc tamen non obstat, quin, si Legislator velit dispensare sine causa, dispensatio sit valida, & non subreptitia.

Dico 3. Inferior nec licite nec valide dispensat sine causa legitima in lege Superioris; quia superior non censetur dare facultatem dispensandi nisi ex legitima causa. Non potest autem inferior in hac re plusquam illi sit concessum a Superiori: ergo. Unde, si Papa dispensaret sine causa sufficienti in voto, vel juramento, quae sunt Juris divini, vel Episcopi in lege Pontificis, aut Conciliorum, nulla foret dispensatio, nisi forte bona fide causa putaretur sufficiens: quia fundatè praesumitur sic velle Superiorem, ad vitandos graves scrupulos, & continuas anxietates.

Sed petes tamen, quae sunt causae legitimae dispensandi? R. Generaliter loquendo assignantur communiter tres, Pietas, Utilitas, praesertim boni communis, aut quae redundet in bonum commune, & Necessitas, quae non debet esse tan-

ta, ut de se tollat obligationem legis; alias non opus esset dispensatione, sed interpretatione tantum. Qualis autem, & quanta debeat esse, vel pietas, vel utilitas, vel necessitas in quolibet casu, certo determinari non potest, sed dimitendum est iudicio viri prudentis, & sapientis, qui attentis gravitate legis, & materiae, ratione temporum, conditione, & merito personarum, aliisque circumstantiis, iudicet coram Deo de sufficientia causae. Ceterum, quando dispensatus sincerè exposuit causam, & causas dispensationis, quas habet, potest regulariter quiescere in iudicio Dispensatoris; cuius est, ut jam dixi, discutere, an causae sint sufficientes, vel non.

### §. III. Utrum, cessante causa dispensationis, cesset dispensatio?

Diximus, dispensationem posse esse validam, quando Legislator intendit dispensare sine causa: nunc quaeritur, utrum, si dispensaverit ex causa, ea cessante, cesset dispensatio? Praemitto, quae sunt certa. Unde suppono 1. Quod, si cesset causa secundaria, & impulsiva tantum, remanente principali, aut si cesset principalis, sed non totalis, ita ut remaneat adhuc sufficiens, propter quam solet dispensari, non cesset dispensatio. Suppono 2. Quod, si tempore, quo conceditur dispensatio, causa non subsistat, etsi subsisteret, dum petebatur, nulla sit dispensatio; & e contra, si non subsistebat, dum petebatur, & subsistit, dum conceditur, valida est dispensatio; quia conceditur, si *proces veritate nitatur*. Sic autem contingit in secundo casu, non in primo. Unde, si petas dispensationem, ut possis nubere consanguineae ad legitimandam prolem natam, quae non est, sed antequam concedatur dispensatio, nascitur proles, valida est dispensatio; & e contra si nata sit proles, dum petitur dispensatio, sed moriatur, antequam concedatur, nulla est dispensatio.

Suppono 3. Quod, si subsistente causa dispensationis perventum sit ad effectum irrevocabilem, vel qui difficile revocari potest, etiam si cesset causa dispensationis, non cessat dispensatio, sed manet valida, & ejus effectus validus. Sic, si propter legitimandam prolem sis dispensatus, ut possis nubere consanguineae, & post matrimonium contractum moriatur proles, subsistit dispensatio, & matrimonium. Pariter, si cum aliquo ex causa legitima sit dispensatum in irregularitate, ut possit obtinere Beneficium, & post adeptum Beneficium, aut Subdiaconatum causa cesset, potest retinere Beneficium, & promoveri ad alios Ordines, quia nimis difficile foret aut abdicare Beneficium, aut remanere in Subdiaconatu, nec talis praesumitur mens dispensantis. Suppono 4. Quod, dum Pontifex committit Officiali, aut Ordinario loci, ut dispenset, si tempore dispensationis non subsistat causa, etsi subsisteret tempore datae commissionis, nulla sit dispensatio: quia Pontifex non censetur dare facultatem dispensandi, nisi subsistente causa, quae amplius non existit. Unde, si Pontifex committat tuo Episcopo, ut tecum dispenset, ut nubere possis tuae consanguineae ad legitimandam prolem, & proles sit mortua antequam tecum dispenset Episcopus, etiam si viveret tempore datae commissionis, nulla est dispensatio. His suppositis ut certis, casus est: utrum, si dispensatio sit data subsistente causa legitima, sed ante ejus executionem, seu antequam dispensatus ea utatur, causa principalis totaliter cesset, cesset & ipsa dispensatio? v. gr. dispensatus es, ut possis nubere consanguineae ad legitimandam prolem, post datam dispensationem, antequam contrahas matrimonium, moriatur proles, potestne hoc non obstante ducere consanguineam? Pro quo.

Dico: Dispensatio data subsistente legitima causa, si causa cesset, antequam dispensatio sortiatum suum effectum, non ideo cessat dispensatio, nisi sit restricta expressè, vel tacite ad tempus, quo durabit causa. Probatur: Quia per dispensationem validam fuit extracta obligatio legis, quae non potest reviviscere nisi per novum actum legislatoris, quo iterum dispensatum subiacet legi; nihil enim potest aliud assignari, per quod reviviscat obligatio legis, quippe quae absolute dependet a voluntate Legislatoris: sicut, si ex legitima causa abrogasset legem, ea causa cessante, non revivisceret lex, nisi eam de novo institueret.

Si dicas, obligationem legis non fuisse absolute extinctam, sed conditionatè quoad causam durare, quia dispensatio fuit data sub ista conditione. R. Dispensationes non sic concedi conditionatè, sed absolute; non enim dicitur, si seu quoad causam durabit, aut allegata subsistent; sed si allegata sint vera, si *proces veritate nitatur*; neque (exceptis casibus infra ponendis) sive ex natura rei, sive ex mente dispensantis haec conditio inest dispensationis, quae sit in forma absoluta, neque ita apprehendit sensus communis. Unde.

Confirmatur Conclusio. Ex opposita sententia sequeretur, quod dispensatus in irregularitate ad suscipiendos sacros Or-

dines propter utilitatem Ecclesiae, si, mutata voluntate, non velit amplius suscipere Ordines, aut ex aliqua causa superveniente non possit, iterum fieret irregularis. Item, quod dispensatus in voto castitatis causa fragilitatis, aut matrimonii ineundi, si cesset postea fragilitas, aut nollit amplius nubere, iterum stringatur voto castitatis; id planè contrarium est communi sensui, & praxi fidelium. Confirmatur iterum ex Reg. Juris 73. in 6. *Factum legitime retractari non debet, licet casus postea eoriat, a quo non potuit inchoari*; & ut supra dixi: *Privilegium Principis decet permanere*.

Inst. Continuatio dispensationis sine causa est illicita: ergo praesumitur debet, quod Legislator eam non concesserit, nisi sub conditione causae permanentis, & quod ea cessante cessaret dispensatio. Prob. Ant. Concessio dispensationis sine causa est illicita: ergo & continuatio sine causa. R. N. Ant. Ad prob. N. Consequens est, quod continuatio dispensationis non sit aliquis novus actus, sed est ipsa prima concessio non revocata; unde, si prima concessio fuisset legitima, ita & continuatio.

Rationes: Cessante ratione legis, cessat lex: ergo cessante ratione dispensationis, cessat dispensatio. Item, cessante causa, cessat effectus: ergo idem, quod ante. R. ad 1. N. Consequens. Quia ad hoc ut cessante ratione legis cesset lex, non requiritur actus, sed sufficit, quod fiat inutilis: ut autem cesset dispensatio, requiritur actus Legislatoris, quo eam revocet, & iterum subiacet dispensatum legi; non enim cessatio causae, puta mors prolis legitimandae, ipsum potest subiacere legi, a qua est absolutus. Ad 2. R. non omnem effectum cessare cessante causa, permanet enim aedificium, defuncto aedificatore, filius mortuo Patre; sed eum solum effectum, qui pendet a causa in conservari, quod hic non currit, ut patet ex dictis.

Dixi: *Nisi dispensatio sit restricta expressè, vel tacite ad tempus, quo durabit causa*; tunc enim non extinguitur absolute obligatio legis, sed sopitur tantum, quoad durat causa. Sed quomodo dignosci potest dispensationem esse tacite restrictam ad tempus, quo duravit causa? R. Non posse certiorum regulam assignari, quam quando prudenter creditur motum duraturum tantum ad aliquod tempus; quia Legislator non praesumitur velle peccare; peccaret autem, si pro motivo transiente concederet dispensationem perpetuam, & ideo censetur tunc illam restringere ad tempus, quo durabit motum. Unde, si propter infirmitatem dispensaris in Horis Canonicis, aut in jejuniis Quadragesimae, cessante infirmitate, cessat dispensatio, & teneris ad horas & ad jejunium. Item, si sis dispensatus in voto continentiae, ut contrahas matrimonium cum Bertha consanguinea, quam deflorasti, illa mortua, non potes cum alia contrahere; quia tua dispensatio ad hanc fuit limitata: secus, si sis simpliciter & absolute dispensatus ad matrimonium contrahendum, tunc enim tua dispensatio non est restricta ad hanc, ita ut illa mortua possis secundam, & mortua secundam tertiam ducere. Addunt aliqui, nec male, quod in jejuniis, Horis Canonicis, & similibus, cuique diei sit sua distincta obligatio, ideoque singulis diebus fiat virtualiter distincta dispensatio. Non intendit autem Ecclesia dispensare, nisi subdit causa legitima tempore dispensationis, quae hic non subsistit. In aliis verò dispensationibus, vel effectus non sic habet tractum successivum sub novo vinculo, vel habilitatur aliquis ad aliud, qui semel habilitatus talis permanet, nisi superveniat aliquid de novo, quo reddatur inhabilis. Ceterum, ut jam dixi, ad discernendum, quando dispensatio censenda sit absolute, ut restricta data, maxime juvat communis sensus & praxis timoratorum.

### §. IV. De Dispensatione obreptitia, & subreptitia.

Quamvis obreptitium & subreptitium saepe confundantur, differunt tamen. Obreptitium dicitur, quod obtinetur allegando falsum; subreptitium, reticendo verum. Quaerimus hic, an & quando dispensatio obreptitiae vel subreptitiae obtenta sit nulla? Non equidem defectu causae; quia, ut supra probatum est, superior potest valide dispensare sine causa, sed defectu intentionis in superiore, qui non intendit dispensare, si tale falsum exprimat, aut tale verum subtelletur. Pro quo distinguenda est duplex causa dispensationis; una principalis & finalis, propter quam superior dispensat, & sine qua non dispensaret; altera minus principalis, seu impulsiva tantum, sine qua dispensaret, licet difficilior. Item observandum est, quaedam requiri de jure & stylo Curiae Romanae ad validitatem dispensationum, quando in ea petuntur, quamvis non sint causae principales. Quod autem hic dicemus de dispensationibus, pariter est dicendum de omnibus rescriptis gratiae, quorum dispensatio est quodam species.

Dico 1. Si obreptio, aut subreptio cadat supra causam Theol. Billuart. Pars Secunda.

principalem dispensationis, dispensatio est nulla. Ita docet Innocent. III. cap. *Super litteris* de rescriptis; idque ut minimum significat clausula solita dispensationum, *si proces veritate nitatur*, & quae si non apponeretur, debet semper subintelligi cap. *Ex parte*, eodem tit. Ratio etiam patet; quia superior non intendit dispensare, nisi propter hanc causam, quae est principalis, & sine qua non dispensaret: ergo ea non subsistente, corrumpit dispensatio. Propter eandem rationem idem dicendum est, si obreptio, vel subreptio cadat super id, sine quo (quamvis non sit causa principalis) superior non dispensaret tali modo & forma, sed cum adjecta conditione & onere: ut si dives petat dispensationem in forma pauperum, ut dicam infra.

Dico 2. Si obreptio, aut subreptio cadat supra causam impulsivam tantum & minus principalem ex malitia allegantis, probabilis est nulla; si ex simplicitate & ignorantia allegantis, est valida. Ita expressè distinguit & statuit Innocent. III. cap. cit. *Super litteris* de rescriptis his verbis: *Nos igitur inter eos, qui per fraudem, vel malitiam, & illos, qui per simplicitatem & ignorantiam a nobis impetrant, huiusmodi credimus discretionem adhibendam, ut, qui priori modo falsitatem expriment, vel supprimunt, in sua perversitatis poenam nullam ex illis litteris commodum consequantur, ita ut videlicet delegatus (postquam sibi super hoc facta fuerit fides) nullatenus de causa cognoscat. Inter alios autem, qui posteriori modo litteras impetrant, duximus distinguendum, vel quae falsitas suggesta fuerit, vel quae veritas sit suppressa; nam, si talis sit expressa falsitas, vel veritas occultata, quae quamvis fuisset tacita vel expressa, nos nihilominus, saltem in forma communi, litteras dedissemus, delegatus non sequens formam in litteris ipsis appositam, secundum ordinem Juris in causa procedat. Si verò, &c.* Statuit postea de causa principali, ut supra.

Dico 3. Subreptio, seu reticentia veri, ad rem per se & intrinsece pertinentis, seu error circa moralem substantiam rei reddit dispensationem nullam: ut si habeas duas affinitates ex parte utriusque parentis, & exprimis tantum unam, si petes dispensari super affinitatem & est consanguinitas, aut super consanguinitatem & est affinitas, aut super quartum gradum & est tertius: quia, licet superior forte aequè dispensasset, si rem ut est expressisses, censetur tamen id tacite concedere, quod petitur, & non aliud. Probabilis tamen arbitror contra quosdam, quod, si petatur dispensatio pro tertio gradu, & est quartus, sit valida; quia dispensatio totius est dispensatio partis in toto contentae, quartus autem gradus continetur in tertio.

Dixi: *Error circa substantiam moralem rei*; quia, si esset error circa substantiam physicam, & nihil pertinens ad dispensationem, non vitaret dispensationem; ut si te dicas advocatum, cum sis medicus, aut erretur in nomine ponendo Petrum loco Pauli: intendit enim superior dispensare cum petente.

Dico 4. Quando dispensatio petitur in Curia Romana, subreptio, seu reticentia illius, quod Jus, seu stylus hujus Curiae requirit, vitiat dispensationem. Quia, quamvis non sit causa principalis, est tamen conditio, sine qua Pontifex non intendit dispensare. Hinc.

Colliges 1. Quod, si petas in Curia Romana, dispensationem super consanguinitate, non exprimens copulam incestuosam, si praecesserit, nulla sit dispensatio ex stylo Curiae. Item, si matrimonium sit contractum, aut consummatum; item, si cum scientia impedimenti & cum spe temeraria dispensationem facilius obtinendi contraxeris, & haec non exprimas, nulla est dispensatio.

Observandum est quantum ad copulam incestuosam, si sit occulta, quod petatur dispensatio in sacra Penitentiaria tacentis nominibus ob vitandam infamiam, aut aliud damnum. Quando verò impedimenta sunt manifesta, aut facile manifestanda, dispensatio non conceditur a Penitentiaria, sed a Dataria, & debent exprimi nomina; quia, cum agatur de impedimento publico, potest deduci ad forum contentiosum, & publicari debet decretum Datariae. In Penitentiaria dirigitur commissio dispensandi ad Confessarium, qui sit Magister, aut Professor in Theologia; in Dataria ad Officialem loci. In Penitentiaria omnia gratis conceduntur: in Dataria solvitur multa expendenda in propagationem fidei, vel in alios pios usus.

Colliges 2. Quod, quando sunt plura impedimenta, puta consanguinitas & affinitas, vel plures consanguinitates, aut affinitates, nulla sit dispensatio, si petatur separatim nunc pro uno, postea pro altero, sed debet peti pro omnibus simul. Item nulla est, si non exprimat, in qua linea sit propinquitas, an in recta, vel transversa, & in quo gradu, aequali vel inaequali. Similiter in cogitatione spirituali, si non expr-



primatur, an sit filia spiritualis, vel compateritas; an baptizaverit, aut tantum susceperit. Idem dic de Confirmatione. Item nulla est, si petatur dispensatio super crimine uxoricidii, non exprimendo similem dispensationem jam fuisse obtentam. Item si dispensatus super defectum natalium ad Ordines & Beneficium, postea petat dispensationem super pluralitatem Beneficiorum, non exprimendo iterum defectum natalium. Item, si dispensatio petatur in formam pauperum, & petens non sit verè pauper. Et hæc omnia, & quedam alia ex stylo Curie Romanæ.

In triplici forma petitur dispensatio: In forma pauperum, honestorum, & nobilium. Ut aliqui censeantur verè pauperes, debent esse tales, ut de suis laboribus & industria tantum vivant; & ita debet exprimi in petitione, ita ut si omittatur tantum, inutilis sit petitio. Unde non censentur pauperes, qui honestos habent redditus, quibus suam familiam cum aliquo labore & industria sustentant. Pauper autem censetur, qui non habet in bonis quinquaginta aureos. Debet exprimi in petitione paupertas ex utraque parte.

§. V. Quaedam Quæstionum materiam dispensationis spectantes breviter resolvuntur.

Petes r. Utrum, quando Romani apponunt in dispensatione alias causas, quam eas, quas exposuit orator, illæ debeant esse veræ, ut sit valida dispensatio? R. Negativè: sed sufficit, quòd, quæ ab oratore proponuntur, sint veræ; non enim ipse propter aliud petit dispensari, & revera propter illas dispensatur: aliæ autem apponuntur ex stylo Curie, & ne videatur data dispensatio propter leviores causas.

Petes 2. Utrum voto castitatis adstrictus valide dispensetur ob fragilitatem, quam precibus, jejuniis, & macerationibus extraordinariis absolutè vincere possit? R. Probabilius affirmativè; quia periculum est, ne etiam ob fragilitatem in istis mediis extraordinariis adhibendis deficiat: secus arbitror, si per media communia & facilia adhiberi solita posset eam superare. Itaque caveatur, ne nimium exaggeretur fragilitas.

Petes 3. Utrum, defuncto Dispensatore, cesser dispensatio? R. Negativè: quia gratia non expirat morte concedentis cap. Si super, de officio delegati in 6. quod etiam verum est, quamvis dispensatio concessa sit ad revocationem; quia Dispensator vivens non revocavit, nec mortuus revocat: secus, si dixisset, donec volnero, aut donec placuerit: Mortuus enim non vult amplius, nec illi amplius placet.

Petes 4. Utrum renuntians dispensationi incurrat denud obligationem Legis? R. Affirmativè, si suam renuntiationem manifestet dispensanti eam acceptanti; secus, negativè: quia a solo superiore dispensante pendet obligatio legis. Unde semel extincta per illum solam potest reviviscere. Et ideo, si privatum solo verbo vel facto renuntiaveris dispensationi nubendi Bertha consanguineæ & aliam duxeris, mortua priore Coniuge, potes adhuc post plures annos ducere Bertham. Alia ratio est de dispensatione in voto; quia, cum ejus obligatio pendat a voluntate voventis, videtur, quod hoc ipso, quo renuntiat; etsi sola mente, dispensationi, reviviscat votum; aut, ut alii dicunt, novum implicitè emittat.

ARTICULUS IV.

De Interpretatione Legum.

Interpretatio generalitèr sumpta est, ut jam dixi, legis obscuræ explicatio, qua declaratur in tali casu obligare, vel non obligare. Est duplex; una verbalis, quæ dicitur simpliciter interpretatio, & est explicatio verborum conformitèr ad mentem, quam habuit Legislator condendo legem. Altera, quæ dicitur Epikia, & est explicatio mentis, non quam habuit Legislator condendo legem; sed quam habuisset, si ad præsentem causam attendisset, & quam haberet, si hic & nunc consuleretur.

II. Iterum triplex est Interpretatio, authentica, usualis, & doctrinalis. Authentica, quæ fit ab ipso Legislatore: illius enim est legem authentice interpretari, cuius est condere; & hæc interpretatio debetèr promulgata habet vim legis. Usualis, quam facit consuetudo, quæ dicitur L. 35. ff. de legibus, optima legum interpretès. Et, sicut consuetudo potest habere vim legis, ut antea diximus, sic & ejus interpretatio. Doctrinalis est, quam viri prudentes & sapientes, aut etiam in necessitate quicumque alii faciunt ex æquo & bono, dum abest Legislator, & tacet consuetudo.

III. In legum interpretatione servandus sensus verborum proprius, communis, & magis receptus, nisi sequatur aliquid inconveniens; quia jure præsumitur, Legislatorem in hoc sensu locutum fuisse.

Lex favorabilis, & nulli nociva debet ampliari; odiosa restringi, juxta regulam Juris 16. in 6.

In legibus humanis non fit regularitèr argumentum a pari: quia in his, quæ pendunt a libera voluntate, non concluditur a pari; obligatio autem legis humanæ non tam pendet a ratione legis, quam a libera voluntate Legislatoris, quæ est de illo casu & non de isto, quamvis simili. Secus in lege naturali propter oppositam rationem, quia obligatio illius est ex natura rei, & ex ipsa ratione, quia dum militat pro uno casu, militat paritèr pro simili.

Dixi: Regularitèr; quia in correlativis, ut in marito & uxore, & in his quæ jure æquiparantur, ut in exequente & mandante, & in iis, quorum unum subordinatum alteri tantum imperfectum perfecto, ut ova carnibus, respectu illius, cui conceditur manducare carnes, fit argumentum a simili.

IV. Quantum (Hic quest. 96. art. 6. o.) ad Epikiam, certum est paritèr illam habere locum in legibus humanis: quia leges ad communem utilitatem feruntur generalitèr, & secundum ea, quæ in pluribus accidunt; neque Legislator potest omnes casus prævidere & excipere: contingit autem multoties, quòd aliquid observari sit in pluribus communi bono utile, quod tamen in aliquibus casibus sit nocivum. Unde, si emergat casus, in quo observantia talis legis sit damno communi utilitati, per Epikiam non est observanda. Sicut, si in Civitate obsessa statuat lex, quòd portæ Civitatis maneant clausæ, hoc est utile communi salutis ut in pluribus: si tamen contingat casus, quòd hostes insequantur aliquos cives, per quos civitas conservatur, damnosissimum esset Civitati, nisi eis portæ aperirentur, & ideo in tali casu portæ Civitatis essent aperiendæ contra verba legis, ut servaretur utilitas communis, quam Legislator intendit.

Itaque Epikia habet locum, 1. quando observantia literalis legis est nociva bono communi. 2. Quando adfert notabile detrimentum observanti in sanitate, fama, aut fortuna; hoc enim redundat contra bonum commune. 3. Quando est contraria legi naturali, vel humanæ superiori, aut ex aliqua alia circumstantia fit iniqua, aut nimis dura. Quia meritò præsumitur non fuisse mentem Legislatoris, ut in his casibus lex obligaret: quod paritèr dicendum est de aliis casibus, in quibus fundatè eadem præsumptio haberi potest.

V. Sed, quia quandoque est evidens, quandoque dubium observantiam litteralem legis esse nocivam, aut iniquam, non eodem modo se gerere debet subditus. Quando est evidens, sicutum est, etiam non consulto Legislatore, uti Epikia, & agere contra verba legis, sive res patiar moram, sive non: Quia in manifestis, inquit Auctor (2. 2. quest. 120. art. 1. ad 3.) non est opus interpretatione, consequenter nec dispensatione, sed executione. Quando non est evidens, sed probabile tantum, aut etiam probabilius, & res fert moram, consulendus est superior, antequam quidquam agatur; quia probabilitas, aut probabilioritas non sufficit ad agendum securè, ubi veritas potest haberi manifesta: & propter similes casus superiores habent auctoritatem dispensandi in legibus. Si res non ferat moram, manente dubio non licet uti Epikia, sed agendum secundum verba legis; quia in dubiis tutior pars est eligenda. Si autem probabilis sit, non esse mentem Legislatoris, ut lex obliget in hoc casu, si eum perspectum haberet, licet uti Epikia, & agere contra verba legis, quia licet sequi quod probabilius est; & ut dicit Auctor hic in fine articuli: Ipsa necessitas habet dispensationem annexam.

Petes, an liceat paritèr uti Epikia in legibus infimantibus contractus? R. Probabilius negativè propter graviam inconvenièntiam, quæ contra bonum publicum inde nascerentur, & quæ prævalent malo quantumvis gravi alicujus particularis. Si namque liceret uti Epikia in lege irritante v. gr. matrimonio clandestinam, contractus minorum, aut sine tabellione mitos, concubinatus & fraudes ubique grassarentur in perniciem Reipublice. Adde, quod contractus non stet sine forma, quæ per illas leges præscribitur.

In animo erat hic agere de Privilegiis in genere & specie, quibus aliqua mutatio contingit in legibus, sed ne præsens volumen nimium exerescat, ab hac materia nunc supersedeo, alias fortè resumenda.

De lege veteri & nova nemo melius, nemo fusiùs, quam noster Doctor Angelicus; ideo & quia de utraque parte disseritur in scholis, Lectorem ad eundem S. Doctorem remitto.

TRACTATUS DE GRATIA.

D. Thom. a Quest. 109. ad Quest. 114.

DISSERTATIO I.

PREAMBULA.

De variis Erroribus circa Gratiam.

Circa gratiam fuerunt errores extremè oppositi. Quidam negarunt gratiam, ne læderent liberum arbitrium; & hi fuerunt Pelagiani, & Semi-Pelagiani. Alii negarunt liberum arbitrium, ut adstruerent gratiam; quales sunt Lutherani, Calvinistæ, & Jansenistæ.

ARTICULUS I.

De Pelagianismo.

Quidam Pelagianismi originem repetunt ab ipsa creatione mundi in ipso Lucifero & Adam prævaricatori, qui divinam virtutem adicipi contendunt; deinde a Judæis, totam spem in lege, & ex ea suam justificationem repositibus, quos ideo Apost. ad Rom. & ad Galat. redarguit. Communitèr autem primus Pelagianismi, & plurium aliarum hæresum parens dicitur Origenes. Undè Hieronymus Ep. ad Ctesiphontem vocat Pelagianismum doctrinæ Origenis ramusculem. Recensentur etiam inter hujus hæresis Parentes Theodoros Mopsuestenus & Rufinus, a quo Pelagius & Coelestius dicuntur errore imbuti. An fuerit iste celebris Rufinus Aquilejensis, an altæ Syrus, aut Palæstinus, disputant Eruditè probabilius fuit Aquilejensis.

§. I. Synopsis historica Pelagianismi.

Fuit Pelagius natione Brito, sive Anglus, sive Scotus, sive Hibernus. Ex Ang. Ep. 108. ad Paulinum, & ex §. Prosp. Carm. de ingrat. professione Monachus. Ex Mar. Mercat. in com. & Aug. de hæres. c. 88. non eo monachatu, cujus Professores, vel soli vivunt in eremis, vel in cœnobis, sed in propria domo, veste ad pietatem composita; vocatur enim a Zozimo, in Ep. ad Episcopos Africa, laicus. Erat vir ingenii acuti, versuti, & facundi, pietatem exterius præ se ferens, ita ut S. Aug. l. 3. de peccat. meritis c. 1. ipsum Sanctum, & non parvo profectu Christianus dicit; sed intus Liguritus, cupidinosus, & obsoniorum condimentis maxime addictus, teste Isidoro Pelusota Ep. 314. & Orosio in Apol. c. 27.

II. Sux hæreses natus est Pelagius patronum & assertorem fervidum & effrontem Coelestium, cujus patria ignoratur. Nobili genere natus dicit Marius Mercat. Is perversitati Pelagianæ propagandæ tantam navavit operam, ut hujus sectatores etiam Coelestiani appellarentur. Alter insignis hujus hæresos fautor & propugnator fuit Julianus, patria & Episcopatu Eclanensis, Marmoris seu Marmoris Episcopi Capuani ex legitimo matrimonio autè Episcopatum filius, qui Pelagianismi a Zozimo damnati apertè & acriter defensionem suscepit. Is fuerat prius Augustino charissimus, ut testatur S. Doctor Epist. 101. Hi tres fuerunt præcipui architecti & fautores Pelagianismi.

III. Sux errores disseminare cepit Pelagius circa ann. 405. r. per discipulos & mulierculas, ut moris est apud hæreticos, ut ostendit Hieron. Ep. ad Ctesiphontem, deinde per seipsum. Romæ degens edidit tres libros de Trinitate, & Commentaria in Epistolâ S. Pauli; in quibus non agnoscat traductionem peccati originalis, nisi imitatione. Scripsit duas Epistolas ad Paulinum & Constantiam Episcopos: primam ann. 405. in qua præter liberam arbitrium aliquam gratiam admittit. Ex Aug. l. 1. de grat. Christi c. 27. Ibidem contigit, quòd cum quidam Episcopus, præsentè Pelagio, referret hæc verba Aug.

ex libr. Confess. Da quod jubes, & jure quod vis; his ita commotus fuit Pelagius, ut vix non litigaret cum isto Episcopo. Ex Aug. libr. de dono persever. c. 20.

IV. Gothis Italian vastantibus, secessit Roma Pelagius cum suo Achate Coelesto in Siciliam, ineunte ann. 409. Anno 411. relicta Sicilia profecti sunt Hipponem, hinc Carthaginem, ubi ann. 412. Coelestius cum apertius negaret peccatum originale, in Synodo ibidem congregata anathemate percussus est, & urbe pulsus in Asiam se transtulit, Pelagius in Palestinam. Illic Hæresiarcha, Joannis Jerusalemiani patrocinio fretus, & acitibus pluribus discipulis, suos errores latius & audacius sparsit. Anno 413. scripsit ad Virginem Demetriadem epistolam adulationibus & erroribus repletam. Anno 415. duo Episcopi Galli, Eros & Lazarus, in Palestinam appulsi accusarunt erroris Pelagium. Congregata est Synodus Diospoli, cui præfuit Elogius Cæsariensis; in ea citatus & interrogatus Pelagius quedam accusationis capita negavit, ad alia subdole & æquivocationibus respondit, ita ut Episcopi nihil fraudis suspicari, & intelligentes gratiam, quam admittebat Pelagius, esse eam gratiam, quam intelligit Ecclesia Catholica, hæresi damnata, Pelagium innocentem errore facti pronuntiarent, absentibus accusatoribus propter unitis ægritudinem. Ex Aug. libr. de gestis Pelagii c. 1. Hanc Synodum approbare renuit Innocentius I. ex ejus ep. inter Augustinianas 96. eamque miserabilem vocat Hieron. Ep. 79. non quòd errorem probaverit, sed quòd Pelagius Patribus illuserit.

V. Anno 416. Orosius Hispanus ex Palestina adventit Carthaginem, & illic congregatis Præsulibus ob quedam Ecclesiæ negotia obtulit litteras Erosi & Lazari, accusatorum Pelagii. Patros, iis lectis & recensitis, quæ contra Coelestium in priori Synodo acta fuerant, Pelagium & Coelestium damnarunt. Idem eodem anno præstitit Synodus Milevitana 61. Episcoporum. Utraque Synodus gestorum relationem misit Innocentio I. ut ipse Sedis Apostolicæ auctoritate firmaret. Anno 417. Innocentius, congregato Romæ Concilio, errorem damnavit & Auctores Anathemati subiecit, nisi resipiscerent. Hac occasione dixit Augustinus serm. 2. de verbis Apost. c. 10. Jam de hac causa duo Concilia missa sunt ad Sedem Apostolicam, inde etiam rescripta venerunt, causa finita est: error usinam aliquando finiat.

VI. His commotus Pelagius ad solitas artes confugit, litteras Apologeticas dolo plenas, & ambiguum fidei professionem Innocentio per Coelestium destinavit. Antequam is Romam adveniret, moritur Innocentius. Zozimus ejus successor, dolosis litteris & ambigua fidei professione Pelagii & Coelestii, & eorum ficta protestatione adherendi Decretis Innocentii, & corrigendi, quidquid sancta Sedes corrigendum judicaret, primùm deceptus, Coelestium benignè excepit, illius & Pelagii fidem commendavit; non tamen eos Communioni restituit, nec ab Hæresos nota absolvit, donec de totius causæ statu certior fieret ab Africanis, quorum judicium nimium præceps suspicabatur, & ad quod ideo duriores litteras dedit, quòd præpropere Erosi & Lazaro crediderit. At, responsis Africanorum melius instructus, & fraude detecta diem dixit Coelesto, ut Synodo, quam Romæ cogerat, se sisteret. Verùm ille aufugit, & se examini subtrahit. In eum itaque & Pelagium condemnationis sententiam pronuntiavit Zozimus, qua, errore deposito, perpetuæ poenitentia subiciebantur; quòd sic detrectaret, a Communione Fidelium arcebantur. Scripsit insuper Zozimus universis Episcopis epistolam, quæ appellatur Tractatoria, in qua Conciliorum Africanorum Decreta adversus Pelagium & Coelestium approbat, & sui Prædecessoris Innocentii in eosdem sententiam confirmat. Eandem Tractatoriam misit ad Honorium